



M. AVREL. ANTONINVS Philosophus, ex patre Annio Vero, & Domitia Caluilla matre, Romæ in monte Cælio, v. i. Calend. Maii, auo suo Annio Vero iterum & Augure & Cos. natus est. Patre defuncto ab auo est adoptatus, & educatus. Magnis Præceptoribus traditus, ab illis Philosophiam & omne literarum studium affecutus est, habitumq; Philosophi gessit. Multos insignes Philosophos audiuit, quibus etiam honores maximos, quantum potuit, exhibuit, imagines eorum aureas faciens. Amauit venationem, pugilum certamina, cursus, aucupatus, & pilæ studium. Operam pingendi studio dedit sub magistro Diogneto. Sed ab omnibus his studium Philosophiæ eum abduxit, seriūque & grauem reddidit. Iuuenis admodum ab Adriano in Saliorum relatus est collegium, in quo sacerdotio & præsul & vates & magister fuit, omēq; futuri Imperii accepit. Virilem togam x v. ætatis anno sumpsit, & statim ei L. Cæionii Commodi filia, ex voluntate Adriani est desponsata. Nec multo post, Præfectus Feriarum Latinarum fuit. Cū verò Adrianus L. Verum adoptasset, eoque mortuo minùs habilis esset Imperio Marcus, cū decem & octo annos tantūm ageret, Antoninum Pium ea conditione adoptauit, vt sibi Marcum Pius, Marcus sibi L. Commodum adoptaret. Hac adoptione magis est territus quàm laudatus, explicans quot mala in se contineret Imperium. Adoptatus igitur in aulicam domum x v i i. ætatis Anno omnibus parentibus suis tantam exhibuit reuerētiam, ac si priuatus vixisset. Post obitum Pii, à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi in Imperio participem designauit, quem L. Aurel. Verum Commodum appellauit, Cæsarem atque Augustum dixit. Ipse nomen Antonini accepit, & quasi pater L. Commodi esset, filiam suam Lucillam fratri despondit. Atque ex eo cœperunt pariter duo Augusti Remp.